



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

I. De Contritione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

Moyfi, Dauidi, Iofia, Petro & alijs. Simus igitur memores dicti: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et pie dictum est: Ante tuos oculos nil nisi culpa sumus. Sed sciamus conuersionem necessariam esse, & non perseverandum esse in delictis contra conscientiam, sicut inquit Dominus: Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Quod ipsum dictum etiam refutat Nouatianus, quia Christus hortatur Apostolos ad poenitentiam.

QVOMODO NVMERANT PAPI-
stæ partes Poenitentia?

RECENSENT & ipsi tres partes, Contritionem, Confessionem & Satisfactionem.

I. DE CONTRITIONE.

CONTRITIONE necessario recensetur, ut supra dictum est, quia necesse est, non perseverare in sceleribus contra conscientiam, sed dolere propter nostram immundiciem, & delicta actualia, iuxta dictum 2. Corinth. 7. Tristitia quæ secundum Deum est, poenitentiam efficit ad salutem. Item: Sicut leo contriuit omnia ossa mea. Item: Vbi habitabit Dominus? In spiritu contrito, & tremente sermones meos. Supra autem dictum est, Papiſtas addere duos errores præcipuos, videlicet, quod oporteat sufficientem esse contritionem, & quod mereatur remissionem. Hos perniciosos errores taxari necesse est.

II. DE CONFESSIOE.

PRIMUM scias uocabulum Confessionis non uno modo usurpatri in scriptis Prophetiis, & historijs Ecclesiæ. In Psalmo 31. Dixi confitebor aduersum me iniusticiam meam Domino, & tu remittis impietatem peccati mei. Hic & saepe alibi Confessio significat ueram contritionem erga Deum, qua homo immediate coram Deo dolet, se habere peccata, & fide petit remissionem culpæ, & mitigationem poenarum, sicut in Daniele dicitur: Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei. Item Micheæ 7. Iram Domini portabo, quia peccaui ei. Hæc confessio immediate ad Deum reipsa contritio est, & necessaria est. Ad hanc accommodari potest dictum Chrysostomi, quod recte intelligatur: ἄδην ἕως ἴλααν ποιοῦ τῶν θύων, ἀσπείγει ἡ θεοῦ δόξα. Nihil sic placatum facit Deum, sicut confessio. SECUNDA significatio est, Confessio offensionis, & petitio reconciliationis apud homines offensos, ut dicit Iacobus: Confitemini mutuo peccata uestra, id est, sanate inter uos offensiones, sicut Matth. 5. dicitur: Vade prius, & reconcilietis fratri tuo. Hæc confessio apud offensos etiam est pars contritionis seu nouæ obædientia, in talibus negotijs, quæ non sunt occulta. Hæc significationes in scriptis Prophetiis & Apostolicis recte discernendæ sunt à decreto Pontificio,

B b 2 quod